

OK 250.14

II

Z c
361

VOTIVA AMICORUM
 CARMINA
 SUPER NUPTIIS,
 Magnifici, Nobilissimi & Clarissimi Viri,
DN. VALENTINI
JÖPNERI, J. U. D. SACRI LA-
TERANENSIS PALATII, AU-
 læ Cæsareæ, ac Imperialis Consistorij
 COMITIS, &c.

CUM
 Lectissima & Honoratissima Femina
DOROTHEA,
VIRI AMPLISSIMI, CLARISS.
ET SPECTATISSIMI,
DN. D. PAULLI PLEISNERI,
 Ph. Medici celeberr. &c. Filia,
 Nec non Prudentissimi & honoratiss. Viri Dn.
GOTHOFREDI SCHONLEBII,
 Senatoris quondam Fribergensis, p. m.
 relicta vidua.

Friberga Hermundurorum XX. Februarij, Anni
M. DC. XVI. solenniter celebratis.

F R I B E R G Æ,
 Imprimebat Georgius Hoffman, Anno M. DC. XVI.

X 2055567



VOTIVA AMICORUM
GARMINA
SHEPER NPTIS
Magnific Nobilissimus Christianissimus
DN. VALENTINI
JOHNERI, D.D. SACRI
TERRA NEMESIS PALATIA
in Germania Imperialis Consistorii
COMITIS



FRIBER
Imprimetur Georgius Hoffmann Anno M.DC.XVI



CONjugij fœdus velut ipso nomine sanctum
Sic illud sanctè vult D E U S ipse coli, (est,
Atq; averfatur cunctos, qui numine lævo
Affectant socij jura sacrata tori,
Aut etiam sine consensu nutuq; Parentum
Se quandoq; alijs artibus infnuant.
At qui rem tantam Jovâ duce & auspice tentant,
Illorum ad nutum vota precesq; cadunt.
Testis eris J O P N E R E mihi, cui munere Divûm
Contingit multis Sponfa petita procis.
Cælitus hoc factum est: applaudit uterq; Paren-
Consensuq; suo fœdera pacta probat. (tum,
Non igitur dubites, quin fausto sydere cepta
Jura tori eventus sint habitura bonos.
Quod precor ex animo, mecumq; precantur ami-
Pronubus hæc jubeat vota valere D E U S. (ci,

Georgius Weinrich D. P. P.
& Superintend. Lips.

Jungitur excellens tandem SCHÖNLEBIA, Doctor
Nobilis insigni dexteritate, Tibi.
Hac cinctus potis es peramænam ducere vitam,
Hac fretus pulchras accumulare dies.

A 2

Is pul-

*Is pulchrè vivit, benè cui cupit altus Iō v A:
Et quem prosequitur nympha favore suo.
Larga cui plenum diffundit copia cornu:
Cui mens in sano corpore sana simul.
Hæc cum contigerint Tibi nunc, celeberrime Do-
Grator, & ex animo vota sacrata fero. (ctor;
Iov A benignus; nympha suavis, mens illesa;
Divitiæq; ample, sint maneantq; Tibi.*

Lipsiæ faciebat

Christoph: Wilhelm: Walpurger,
SS. Theol. D. & P. P.

NÆ, JÖPNERE, VALENS. Nomine & omine es!
Dum Sponsus COMITIVÆ fueras tuæ,
Quam gratabar ego pectore ab intimo,
Surgebant animis terrificæ hostium,
Ex purâ invidiâ, spicula minacium.
Votum insigne tamen pondus habet meum,
Nam Tu Magnanimus Victor eras Leo.
Spiculis hi proprijs sunt citò perciti.
Cum Sponsus THEODORÆ fueris tuæ;
In promptu fabricis livida turba erat
Passim missilibus, teq; petIt quidem.
Sed tu candidè amans vincis eam illicò.
Ergo jam duplicis Victor agonis es,
Cum victoriæ te duplica manserit,
Quam de corde tibi gratulor intimo!
*Ihova dante; nihil livor iners valet:
Non dante hoc: Veneris nil studium juvat.*

Carolus Steinhusius J. C. Pragâ

DIALO

DIALOGISMUS.
DICE ET FAMA.

Unde venis volucris prænuncia fama volatu?

F. Freibergâ, D. Quid fers? F. nuncia grata fero.
D. Quenam? F. JÖPNERUS Sacri Comes ille Palati
Nunc audit Sponsus, moxq; Maritus erit.

D. Mirare fers. F. Non dira tamen, sed vera putaris.

D. Dic ubi? F. Freiberga? D. Qui? F. mediante DEO.

D. Prob! non impediit rabiosus acumine livor,
De quo dicebas nuper adacta mihi?

F. Non valuit; siquidem Dominus virtute VALENTIS
Juvit, promovit, fovit & egit opus.

D. Qui sit, præ reliquis quod JHOVA adjuverit illum?
F. Non à postico cœpit amare modo.

D. Ergo piè & justè thalami sacra pacta petivit?

F. Per Patrem & Matrem quasi ipse Viram.

D. O Fatum gratum! sanctum esto! quid? ergo nè livor
A facie & fremitu desijt esse ferox?

F. Desinat aut feriat; nil quicquam agit, egit, agetq;
Est facies macies, est fremitus gemitus.

D. Cum nupsisset Et summò Comitiva decore,
Livor edax simili pagmate lusus ablt.

Eja voles volucris rursus bona Fama Volatu,
Et grateris Et Nomine missa meo!

Pragâ

Ulricus Ernestus Hartger,
Styrus, I. U. D.

Etli

ET si non unas visa est fors invida tricas,
JÖPNERE, auspicijs neçtere velle tuis;
Quô minus optatâ spe possis Iple potiri,
Hactenus ambitus quam Tibi fecit Hymen:
Ut tamen in reliquis tibi dextra faventia Jovæ
Fulsi, ita hîc potuit Te neq; deserere:
Dum desponsa tibi est pia fæmina, fæmina casta,
Atq; pudore nitens, atq; decore nitens;
Qualem vix aliam multis è millibus unam
Invenias, ipsi laudis honore parem.
Ergo tuâ hac gaude felici sorte bonorum,
Invidiæ & morsus spernere disce graves:
Invideat, quicumq; velit; Te Jovæ benignus
Omnigenâ æternum prosperitate beet!

Ludolphus Haller, J. U. D.

Gratulor extructos thalamos, JOEPNERE, FRIBER-
Nuper cum tenera, SCHÖNLEBIA, Vidua: (GÆ,
Gratulor optatam Sponsam, Socerumq; petitem,
PLEISNERUM; Medici qui bona Fama chori est.
Addo preces; lectum genialem Fautor & Author
Connubij sacri tempus in omne regat:
Ultq; virens almis decoratur vitibus Ulmus,
Pinguibus & baccis mitis oliva rubet:
Sic, JOEPNERE, tuos teneat PLEISNERA lacertos;
Sicq; ornent mensam pignora grata tuam.

Isthæc

*Isthaec vota novis pro Sponsis mitto, valere,
Hæc, sine; Qui trino nomine NUMEN habes.*

Marcus Rorscheidt / U. J. D.



Poscuntur, quanquam Musis & Apolline nullo
Hæc concepta queror, carmina nostra tamen.
Fauſta *Palatino Comiti* sic vota rogatus
Mitto; sed in metris gratia nulla micat.
Juris volvo libros, hæc, ne viridantia possim,
Culmina Parnassi tangere, causa facit.
Sat cum præfatus; Sponſo me fauſta precari,
Tempus & hora, simul feſta Hymenæa monent.
Si, **JÖPNERE**, ſui fulget ſplendore mariti
Fæmina; fulgebit mox tua Sponſa ſatis.
Aula Cæſaræ Comes es; diplomata monſtras
Cæſaris, hoc ipſo tradita ſine tibi.
Ortenburgiæ domui eſt conceſſa poteſtas,
Cæſareo dandi nomine tanta bona.
Celfus & illuſtris generoſo hoc ſtemmate natus
Dat **COMITIVÆ** hujus maxima dona **COMES**.
Tantis mox radijs tua lux, tua Sponſa micabit;
Quæ Comiti nubit, fulget honore pari.
Accipit à Phœbo compar ſua lumina Phœbe;
Dicitur uxoris vir decus omne ſuæ.
Nobilitata tuæ virtutis lumine Sponſa,
In te lætatur, tripudiatq; viro.
Hinc **JÖPNERE** tibi duplici jam nomine grator;
Es Comes; Es Sponſus; Nomen utrumq; placet.

Dat.

Dat DEUS uxorem, Comitibus dat Caesar honorem;
 Grata, rogo, quænam sint tibi dona magis?
 Cæsaris Aufonij, fateor, sunt splendida dona;
 Hæc sed divinis æquiparanda nego.
 Est COMITIVA aliquid magni, sed munere tanto
 DOROTHEA est majus, fida, pudica, bonum.
 SCHÖNLEBIAM ducis Viduam virtute coruscam;
 Dona capis rutilo splendidiora Tago:
 Est hæc PLEISNERI Doctoris in arte medendi
 Filia, quam decorat cum pietate pudor;
 Quæ vincit cunctas animi integritate puellas;
 Quas FRIBERGA ferax æris opumq; fovet.
 DOROTHEAM ergo tuam Dîo pro munere habeto;
 Sit, JÖPNERE, oculis hæc pretiosa tuis.
 Eximia lætare diu cum conjugè; vestro
 Lætitiâ eripiat pectore nulla dies.
 Sit felix COMITIVA tibi; felicior autem
 Sit fœdus sacrum, vita torusq; novus.
 Otto Schwalenberg, J. U. D.

*Fata viam querunt, & ubi se mentis acumen
 Humana sistit, fata viam inveniunt.
 Hinc nec opinantem te, Vir clarissime, fata
 Mœnia Fribergæ celsa subire jubent.
 Nec mora; connubij tibi jungunt fœdere, quæ sit
 Altera pars vitæ delitiumq; tua.
 Nunc quæ cæperunt pede currere fata, secundos
 Continuent gressus multiplicentq; precor.
 Sic benè conjugij textetur tela, cupita
 Præmia sic Sponsæ nocte dieq; feres.*

Henricus Volckmar, J. V. D. & Scabinatus
 Electoralis Adfessor Lipsiæ.

Lex

L Ex jubet divina, D E U S Q; Summus
Præcipit, quod quisq; sibi placentem
Ducat uxorem, propriam domumq;
Deniq; ponat;

Ne malis solus rigidis gravetur,
Sed suæ vitæ placidum levamen,
Atq; præduri Sociam laboris
Semper haberet.

Ergò quod J Ö P N E R E sacras celebras
Nuptias cum S C H Ö N L E B I A pudicâ,
Rem facis justam, simul atq; dignam
Laude perenni.

Prosperum & felix igitur futurum
Ut tibi sit conjugium, paterq;
Plurimæ fias sobolis, tibi opto
Pectore toto.

Matthias Berlichius, J. U. D.

A Deste vos Poëte
Apollinis scholares,
Et Apollini secundo
Vel Apollinis magistro
Gratamini J Ö P N E R O.
Hexametros gravesq;
Septempedésve versus,
Si fabricare tales
Bonis licet Poëtis,

Tanto dicite Sponso.
Cum sit mihi supellex
Brevis poëticarum
Et curta ineptiarum,
Excussus immò cum sim
Ad saccum & usq; peram
In Musicis tabernis:
Ceu bancherotto cunctos
Decoxerimq; versus,

B

Jam


*Jam gratulando letis,
Mox condolendo mœstis.*

*Curtas Anacreontis
Ad resculas volandum,
Venerisq; gratulandum est
Apollinisq; pullo
Sponso incluto JÖPNERO;
Ut guttulas fluenti
De Pegasi liquore*

*In Malsij cerébrum
Derivet inficetum.*

*Sic carmen ille longum
Finget, lubensq; curtum,
Pro dignitate Sponsum,
Comitem Imperantis am-
plam,
Idoneumq; Sponsæ
Ducem, canet JÖPNERUM.*

gr. f. Simon Malsius, D. J. U.



FÆlix, quem recolunt, nec fallunt Fata petentem
[Anceps esse solet] forte novâ Thalamum.
Plaudite; JÖPNERUM non fallunt Fata petentem
Moribus ingenuam, Dotibus egregiam.

*Georgius Barschamp/ J. U. D.
Dresdâ.*



CHRISTO Autore Torus felix, feliciter omnis
Et benè succedet, qui benè cœpit, Amor.
Hic Promus Condusq; suo beat omnia Sponsis
Numine: vim Vini suscipit humor Aquæ.
Hoc Duce Naphthalides concepit pectore flammæ,
Hoc Duce cognovit SARA pudica Virum.
Ergo qui Thalamo quoq; natus, CHRISTE, jugali,
Huc ades, atq; tuo numine junge pares.

CHRISTE

*CHRISTUS idem faxit, tibi littore nata jugali
Pullulet ex GEMMÂ, Gemmula multa, Tuâ.*

*Caspar Kegler D. Aula Urbisq;
Dresdensis Medicus.*

*C*æsareo Comiti Comes additur, Ecce jugale
Fatum! nam solus quis Comes esse potest?
Scilicet & Comiti rellatio defuit, ante-
Quam peteret tædas, bellula Sponfa, tuas.
Ergo Comes Comitem multos Comitetur in annos,
Et sic conjugij grande levetur onus.
Sit Comes & trinum Numen, sobolemq; maritis
Fortunet, major mox Comitatus erit.

Enoch Heiland, J. U. D.

*D*As, JÖPNERE, manus: neq; te Themis amplius ipsa
Sustineat Veneris asseruisse manu,
Nec Sophie, cui Te memini ipsos inter ephebos
Noctes & totos continuasse dies,
Non ita, non tales olim malè creditum in usus,
Aut Tituli ornatum splendido honore sui,
Ut noctis vigilata oleumq; operamq; dierum
Temporis ipsa uno perderet articulo,
Instructum ipsa suis cum te palmaribus armis
Transire ad Veneris castra aliena videt.
Quamvis ipsa sibi jam Stoica regna pararet,
Quâ sibi, quâ Themidi vivere, quâq; Tibi
Liber, honoratus, Regum Rex, & minor uno
Magnanimus posses esse Monarcha Jove.

Hæc & quæ veterum delirat cætera acumen,
Quæq; etiam auctori displicuere suo,
Credita vix pueris & qui nondum ære lavantur,
Cum JÖPNERE, hodie spernis, amice: VIR es,
Et quid te dignum, Chrysippo & Crantore prisco
Pleniùs & meliùs, DOCTOR amice vides.
Uxorem ducis; Potes ex hac scilicet olim
(Quod voti nunc est summa caputq; mei)
In Sophie & Themidis tua per vestigia ad arma
Militem ut emeritus mittere castra novum.
Dî firment omen! nisi vanus desipit augur,
Grandia me dices dona dedisse Tibi.


Simeon Reinhard, U. J. D.

•••••
CUR pallens, JÖPNERE, trahis suspiria longa?
Cur morbum nescis dissimulare tuum?
Fide mihi quæso (fiducia sustinet ægros.)
Spes spes est, iterum ritè valere potes.
Non tamen hoc opis est nostræ, neq; vulnus amoris
In se curavit doctus Apollo sui.
Est aliud, tua quo restingvi incendia possint,
Quæ jecur & toto pectore corpus habet.
Ecce etenim occurrit Divùm tibi fœmina dono,
DOROTHEÆ nomen conveniensq; gerit.
Clara hæc & probitate, suo & patre, cujus ubi vis
Arte Machaoniã nomen honosq; vigent.
Hinc medicina tuo est, ac non aliunde, dolori:
Hanc cape: crede mihi, postmodò sanus eris.

Hæc

*Hæc velut insedit cupidis onerosa medullis
Sarcina, sic promptâ te relevabit ope.
Utq; DEI nôris hanc nobile munus haberi,
Vulnera sanabit, quæ Medicina nequit.
Hæc jocos: adde jocis quæso sanctissime vires
CHRISTE, nec huic cesses dexter adesse toro.
Tu quos sustentas, nihil hos fors aspera ledit:
Tu quos destituis, nil nisi damna premunt.*

Joan. Siglicius, D. & Prof. Publ.



*CÆsaris auspicijs summis es honoribus auctus,
Atq; geris titulos non sine laude novos,
Es Comes, & Sophies Doctor, Legumq; sacrarum.
Nempe refers meritis premia digna tuis.
Numinis auspicijs, titulis superadditur unus,
Dum venit in gremium Schönlebiana tuum.
Nomine Reg; Valens fac sis, prius impleat orbem
Luna decem, nomen suave parentis erit.
Utere, quæ Cæsar, quæ fata benigna dederunt,
Inq; foro Vir sis impiger inq; toro.
Sic tituli excipient titulos, soboles sobolemq;
Et clarum scandet nomen ad astra tuum.
Augeat hos illos DEUS & fortunet honores,
Dans sine labe domum, non sine prole torum.
Conjugium concors felici sidere cœptum
Annos felici duret in innumeros.*

Simon Landgrave/D.

Quàm bene conveniunt similes! Tibi volvere triste est
JÖPNERE, in sterili frigida membra toro.
In viduo jactare toro quoq; corpus, acerbum est
SPONSÆ, quam stabili jam tibi lege jugas.
Ite pares, euge ite pares in fœdera! Ditent
Pignora pulcra torum, fœnora justa domum.

*Johannis Wanckelij Medic.
Doct. Dresdâ.*

Quæritur à multis, *CUI NAM ducenda sit uxor?*
Vult DEUS ipse Pater, quemlibet esse Patrem.
Quæritur ulterius, QUARE ducenda sit uxor?
Ut veniant Nati; sitq; medela mali.
Quæritur hoc etiam, QUALIS ducenda sit uxor?
Sit pia, sit dives, pulchra, pudica, proba.
Quæritur id tandem, QUANDO ducenda sit uxor?
Cum genus hanc vitæ postulat, atq; Vires.
En TIBI, PROPTEREA, TALIS, JAM ducitur
Hinc igitur felix, Sponse, maritus eris. (uxor;
Sis Pater, & veniant Nati, sit Sponsa pudica,
Sit pia, sit dives, sis Vir & inde novus.

*Franciscus Kest, Lips. Phil.
& Medic. Doctor.*

Nescio quot versus effuderit uber Apollo,
Nescio quot dederit æger Apollo modos.
Attamen, at frustra tamen omnia. Siste deinceps,
Effusos frustra siste deinde modos.

A melica

A melica ad medicam quin ipse revertere Praxin,
E studioq; parum haud commoditatis habe,
Et JÖPNERE tamen canibus nolentibus instas,
Meq; urges lætos incinuisse modos.
Non ego diffiteor, nec amico denego quidquam:
Sed brevior posthac indubitanter ero.
Sunto VALENTINO vati, Comitiq; Palati,
DOROTHEÆ sunt prospera cuncta tuæ.
Quid voveam ulterius? vovi, quæcunq; vovenda
Ad faustas tædas visa fuere mihi.
Vix vovisse queunt reliqui tibi plura Poëtæ,
Comtius id quamvis expolijisse queant.
Esto VALENTINO JÖPNERE valentior, in Re:
In qua Re verò? Res tibi nota fatis.

Valentinus Hartung Lips. P. C.
Philos. & Med. Doctor.

Huc sacer ad volites convivias sacra frequentans
Phæbe, disertorum duxq; paterq; virum,
Huc Musæ doctæ, faciles Charitesq; ministræ
Accelerate gradum: festa sacrata vocant.
Tuq; Venus firmo mortales fœdere mentes
Connectens, socium jungito diva latus.
Qui vos à teneris coluit JÖPNERUS alumnus
Annis, Phæbei gloria magna chori,
Huic accendantur tædæq; facesq; jugales:
Hic Veneris properat subdere colla iugo.
Divæ faveto Venus: sponsum, sponsamq; clientes
Patrona ardenti nectito amore tuos.
Quam benè conveniunt, sacro junctæq; morantur
Et Musæ, & Charites, diva Venusq; toro!

1752

Ut

Ut tibi clara tulit cognomina Phœbus Apollo :
Sic Venus alma torum prole frequente beet.


Christophorus Preibisius J. U. Licen-
tius, Philosophiæ Practicæ in
Academia Lipsiensi Prof. publ.



Ἰοφνήρον νεόνυμφον ἰδοῖσα θέμις, φάτο ἔτις,
Ἐκ μοισῶν ἀγαθὸν κλέος ἄρε πλεονδε ὀπασῶ,
αἰέν, δρις ἔυσαις, νομικὸν δρόμον ὅτι τέλει σεν.

Τῷ νεονύμφῳ ἐν δωρικῇ
θέμις ἐσύνχαιρε

Philippus Schafanus Advocatus Dresd.



*Simson præ sua Uxore fastidit aliam
juniozem & formosiozem. Judic. 15.*

QVæ conjugali pectora vinculo
Connexuit demissus Amor polo,
Hæc nulla vis, fraus, & potestas
Dissolüet, dirimetq; planè.
Ut ventus ignem suscitât atq; alit,
Flammasq; crescentes animat magis:
Sic fraudulentis pressus ausis
Crescit Amor, capit atq; robur.
Quid Simsoni olim contigerit, vide,
Dum denegari uxor sibi ceperat:
Irafcitur, totaq; mente
Concipit eximium furorem.

Sedare

Sedare bilem sollicitus pater
Tentat, daturum dum Genero suo
Formosiorē pollicetur,
Cordirapamq; aliam juvencam.

His non movetur conditionibus
Heros, suam defendere conjugem
Pergit: datum vult sustinere,
Non iterare suos amores.

Heroicas mentes Amor occupat
Ardentior, sensusq; tenax sui:
Est mobile incautumq; vulgus,
Inq; alios facile est amores.

Plerumq; vulgus divitias amat,
Pastumq;, ceu brutum, sequitur, pecus:
Atq; immemor recti atq; honesti
Dat sine mente sonos rudentes.

Ars atq; virtus conciliat viros,
Mentesq; planè consimiles facit:
PLEISNERA laus, *JÖPNERA* virtus
Sic sociantur amore magno.

Est nexus horum Filia amabilis,
Quæ læta sese dat facilem in torum:
Tanto viro digna illa, tantæ
Dignus amore maritæ & ille.

Laus atq; virtus conjugio hoc novo
Multos in annos vivida floreat:
Et det nepotes non minores
Laude patris sui, Aviq; honore.

C

Sponsis

Sponsis & istis hunc animum DEUS
Addat, velint nolint pariterq; idem:
Formosiores non præoptet
Ille vel illa, nec aptiores.

Simson/ dem freyen tapffern Heldt/
Sein Weib vor allen baß gefelt.


Die Liebe/die Gott selber stift/
All andre Liebe vbertrifft/
Kein falsche List/Betrug vnd Meid/
Zweyr frommen Hertzzen Liebe scheid.
Bleich wie ein Feuer von dem Wind
Je lenger je mehr wird entzünd:
Also die rechte Liebesflam
Brent/ vnd rückt immer näher zusam.
Simson/ das war ein dapffer Held/
Ein grosses Lob het in der Welt/
Ein Fräwlein kam ihm in sein Sinn/
Sein Lieb vnd Treu wand er dahin/
Aber doch mit der Eltern Rath
Er solch Sach angefangen hat.
Als kurtz hernach ein Weisverstand
In solchem Wercke sich befand/
Dem Helden vorgeschlagen ward
Ein ander Weiblein schön vnd zart/
Das ihm solt viel mal lieber seyn/
Vnd ihn sein Lebtag nicht gerew.
Der Held sich lest abwenden nicht/
Ausdrücklich zu den Leuten spricht:

Was

Was er einmal beschlossen het/
Das wolt er halten fest vnd stätt/
Ein Wort ein Wort/ein Mann ein Mann/
Wolt sein Weib/vnd kein andre/han.
Ein feiges Hertz vnd Wanckel Muth
Bey Freyens sachen thut kein gut/
Vnd wo man mehr sieht auff das Belt/
An Lieb vnd Trew es da oft fehlt.
Wann einer ein solch Frewlein nimpt/
Da Hertz vnd Muth zusammen stimpt/
Sonderlich wo die Eltern frey
Mit ihrem Jawort seyn dabey/
Da muß die Eh gerathen wol:
Ein jedr sich darnach richten sol.
Kunst/Tugent/vnd Geschicklichkeit
Ihrs gleichen liebet allezeit/
Kunst geht dem Gute billich vor/
Die Feder schwebet doch empor/
Vor andern hat den Ruhm vnd Preiß/
Wie jederman das sieht vnd weiß.
Der Vater ist ein berühmter Mann/
Wil auch ein solchen Endam han.
Des Bräutigams Ruhm vnd Tapfferkeit
Bekand ist worden weit vnd breit/
Vnd gleich wie der Held Simson that/
Sein Hertz dahin gewendet hat/
Es auch dafür noch gänzlich helt/
Es sey kein Schöner in der Welt.
Sott laß der Braut ein solchen Sinn/
Daß sie so stets auch liebe ihn/

Als wenn auff dieser Erden mehr
Kein Besser vnd kein Schöner wer.
Wo's so zugeht/ da wohnet Gott/
Wuß weichen Saß/ Weid/ Creutz vnd Noth.
Der sterck euch nu mit seiner Hand/
Vnd mach fruchtbar ewren Ehstand.

Cunradus Bavarus, Poëtes
Professor Publicus Lipsiæ.



E Vnomie, præstans JÖPNERE, Themisq; sacrata
Te prius in templis detinuere suis.
Nunc etiam Cytherea suos proleat in hortos,
Implicat & suavi libera colla jugo.
Schönlebi viduata thoro matrona pudica
Ducitur, & lateri fit sociata comes.
Sit felix vester thalamus, sint omnia vobis
Prospera, tranquillos sorte ferente dies.
Det prolem Lucina, ferax ager horrea plena
Distendat, tuti sint sine lite lares.

M. Paulus Berger, P. L. & in aula
Elect. Sax. Secretarius.



N Ec tibi dura potest Sors esse, nec aspera Cypris,
Cum Te, JÖPNERE, hac tam probè in Urbe beent:
Immò id Consilio Superùm fieri omne, putandum est,
Clarior illorum ut dotibus esse queas.
Magnificos Titulos geris, & Tua nomina ubiq;
Ex merito magnâ gloria laude vebit.

Ista

Ista Novenarum postquam videt una Sororum,
Quae notat aetherei sidera fulva poli:
Est aliquid doctos, inquit, sibi querere famam;
Post sese heredes linquere, majus opus,
Quid juvat egregias novisse insigniter artes,
Et clarum titulis promeruisse locum?
Ex me ni superas Hymen venisset in auras,
Clarum quis posset perpetuare genus?
Doctus homo quidnam sine conjuge? fabula certè,
Quem minus in pretio vulgus habere solet.
At qui connubij Sociam sibi foedere jungit,
Ille suae vitae commoda plura capit.
Auxilium DEUS en defert, Sors optima ridet,
Omnia procedunt hic satis egregiè.
Idq; utrumq; modò mecum gratantur amici,
Et pro TE Superos plura subinde rogant.
FELIX, quem tanta adspèctat miseratio ab alto!
Huic favet in terris Sors & honesta Venus.
Tu sequere ergo lubens tua fata, nec optima Sortis
Munera, nec Paphiae respue dona Dea.
Vive DEO SPONSÆ QVE diu, & sic divite Cornu
FOPNERE hac quidvis commodi in Urbe feres.
Tu quoq; consimili gaudeto pectore SPONSA,
Obsecro, marores jam fuge sollicitos.
Nam tibi conjugij praclarus stemmate DOCTOR
Foedere jungetur sat benè composito.
Sic tibi letifico consurgant gaudia motu,
Vincula tadarum dum pia concelebras.
Sit rogo salvificus presenti numine CHRISTUS,
Omnia nunc vestro det bona connubio,

*His cœptis adsit, vita & quibus indiget usus,
Sufficiat, Thalamum pignoribusq; beet.*

Magnifico Domino Affini suo con-
gaudens congratulabatur

M. Johannes Hornicæus, L.
Inclytę Fribergensis Reip.
Syndicus & Senator.

NÆ magnus, JÖPNERE, vir es! non vellicat aurem
Musa tuam: magnus, meq; tacente, vir es.
Magna velut præstas: magno sic inter honore,
Dignos, majori dignus honore VALES.
Addo; es Philosophus, Rhetorq; disertus, & arte,
Magnus Juridicâ, magnus & Aoniâ.
Addo; Nobilis es Doctor virtute, decore,
Permagni magnus Cæsaris esq; Comes.
Addo; sis Sponsus, magnas tibi Sponsa, tuum cor,
Delicias, magnas lautitiasq; feret.
Gratulor ergo tibi, JÖPNERE: quid amplius optas?
Num sobolem? ET SOBOLEM, ET DET BONA
CUNCTA DEUS.

M. Samuel Rüling, P. Laur.
Ecclesiæ Dresd. ad S.
Crucem Diaconus.

REte tuum, nuper quo piscabare Fribergæ,
Aut divina Tibi gratia rete dedit.
Cæsaris aut hamus, cui fama accommodat escam, est,
Quemq; Palatini dextra animosa regit.

Successu

Succéssu letare tuo! letare labore!

Seu barbus captus, seu Tibi perca fiet.

Utilis hæc stomacho; sed mollior ille palato:

Capturâ piscis dignus uterq; tuâ est.

Sit, quicumq; fiet, precor, ut foetura quotannis

Scitula piscinam repleat inde Tuam.

Quodq; hinc & quoties præsentem sumis in usum,

Nullius impuret fellis amarities.

Hæc ita me saliumq; nepos, genitorq; leporem,

Et thalami præses ludere jussit amor.

Si placeo, placet hoc: si non, tamen & Tibi, Sponse,

Et, Pleisnere, Tibi, cura placere fuit.

Ut, cum me pariter bona fors invenerit olim,

Rursus cum Musis adsit uterq; suis.

M. Philippus Müller, Prof. Publ.
Physiol. in Academ. Lipsi.

TE quoq; Magnificiq; Tui magna ausa LEONIS
Manniadum terris didita FAMA refert.

Te quoq; CONJUGIIQ; Tui FELICIA FATA
Manniadum terris didita FAMA refert.

Et quid Manniadas? TE, CONJUGIUMQ; LEONEMQ;
Inter utrumq; Polum-didita FAMA refert.

Id meritôq; Tuô JÖPNERE, ter-INCLYTE FAUTOR,
Cui, quodcunq; boni est, Fors generosa dedit.

Sunt QUI Pieriâ præstant insigniter arte;
Sed Tu Pierio Phœbus es ipse choro.

Sunt QUORUM ingenijs vis una, unumq; talentum;
Quanta Tui Genij! quanta talenta Dices!


Sunt QUIBUS augustos Academia credit honores;
Rex TIBI Regum apicem credidit IPSUS APEX.

Sunt

Sunt Quos divitijs cumulat Berecynthius Heros;
 His quoq; TE cumulat, sed DEUS ipse, BONIS.
 Vos ò QUI parvis ceras Animalibus aucti,
 Surgite, cedite, iò! REX, LEO, VESTER ADEST!
 Tu sed ò Aonijs COMES & VICE-CÆSAR in arvis,
 Utere, quò polles, utere jure tuo.
 Quotq; sed Aq; QUIBUS, quos vana superbia vexat,
 Quam-multis differs passibus, atq; modis!
 Vulgus iners creperis volitat super æthera cristis,
 Cum magè natum humili serpere semper humi.
 Exulat A TE omnis jactantia; sit licet A TE
 Nata coronatis FAMA triumphet Equis.
 O mihi Apollinæ centum sint Flumina venæ,
 Quam vellem in laudes ire redire tuas!
 Sed TE quid laudem? satis es laudatus ab ipso
 Cæsare Cælicolùm; Cæsare terricolùm.
 Et TIBI quid voti dabo? quidvé litabo precum vi?
 Cui quodcunq; boni est, Fors generosa dedit:
 Attamen ut nil non tanti dem debitor æris,
 Ista creaturæ vota CREATOR habe:
 QUÆ SAT DIVES HABES, DONANTE TONANTE, TALEN-
 HÆC CUM DOROTHEA SOSPES HABETO DIU. (TA,

Vovet animitus

*Tua, quæ honores Phœbeios, Creatura
 M. Martinus Rinckhardus, P. L.
 Erdbornl in Comitatu Mansfel-
 diaco PASTOR.*



Divitijs splendet virtus, splendescit honore;
 His adjuta alis ardua queq; petit.
 His sine sordescit virtus, nec amabilis ulli:
 His sine difficili tendit in alta pede.

Ergone

Ergone virtuti fortune ea ludicra prestent?
 Absit: sic vulgi mens male sana docet.
 Nempe parum firmis gaudet mutabile vulgus,
 Par pare: virtutis statq; manetq; vigor.
 Sunt ea virtutis tantum organa & umbra; quid umbra?
 Nil. obsunt, profunt organa, ut usus eris.
 Non hac Sponse tibi dico; nam sat tua virtus
 Precellens titulis cognita magnificis.
 Hac confusus adis Petram, sit amabilis illa,
 Virtutis facies are & honore nitens.
 Dorothea buic gaudet sociari, gaudet amore
 Virtutis parili, Sponsa pudica, tua.
 Felix conjugium virtutis compare amore
 Junctum; divino hac numine juncta iuga est.
 Sis felix, vigeas virtutis compare amore,
 Numine sub dio sit iuga sancta precor.

M. Martinus Hahn Weissen-
 felfensis, Not. Pub. Cæs.

VALENTINUS JOPNERUS
 ET
 DOROTHEA PLEISNERIA.

Αναγραμματικῶς.

EN SALUS IN AEDE, EN VIRTUS
 IN THORO PIO REPLEAT.

CAstis maritam moribus, ac fide,
 Virtute præstantem pietatēq;
 JOPNERE, custos o fidelis
 Eunomiæ, Themidōsq; præses,

D

Comēsq;

Comēsq; Sacri Magne Palatii,
Donat tibi jam fiderei poli
Terræq; Rector, jungit atque
Auspiciis thalamo secundis.
Donant amici, quos amor & favor,
Mentisq; virtus & vigor ingeni
Laudabilis, vitæ per ævum
Confociant tibi firmiori
Nexu, scyphos ac aurea pocula,
Auriq; nummos gratâq; munera,
Et corde tecum festa lato
Connubialia concelebrant.
Ad quæ vocatus non ego sim licet
Hospes: rogatus carmine sed tamen
Me sisto tædis, atque votum
Promo tibiq; tuæq; Sponsæ:

EN vos dia SALUS IN sacra REPLEAT ÆDE,
INq; THORO VIRTUS mascula sæpe PIO.

M. Tobias Simon Dresd.
Schole patriæ Rector.

Bella pudicus Amor res est: cui pocula felle
Miscent fata tamen, nî pia vota juvant.
Vota precesq; juvant: tædas en vota jugales
Sic ISACCE tuas, bella REBECCA beant.
Plurima quis nescit? felicius omnia tandem
Cedere, quæ votis, sunt benè cæpta, pijs.
Ergo etiam JÖPNERE tibi, clarissime honorem
Gratamur thalami, vota precesq; damus.

Sic

*Sic stabili, semper, felices, vivite nexu,
Vester ut in longum, crescere duret, Amor.
Concordes placidas, animis, equate columbas,
Æternum, vestro, Pax cubet alma thoro.
Tandem ubi calicula, pulcra, vos, prole parentes
Exhilarant, patrios, lusitet, ante pedes.
Iliacos superate senes, quos sydere dextro,
Junxerunt Charites, junxit & ipse Deus.*

Christianus Dross, Dresd, Advocatus.

QVIS JŌPNERE tuum ceptum non laudet honestum,
Quis lucem hanc numeris non celebrare velit?
Optasti Viduam, quæ sit pia, quæq; pudica,
Atq; polita simul; quam cupis: ecce capis.
Gratulor ergo tibi tali de munere, SPONSE,
Doctor, doctorum flosq; decusq; virum.
Adsit perpetuò mitis concordia vobis,
Vestrum nec turbent jurgia sæva torum.
Unus amor parili jungat duo pectora vinclo,
Regnet in amborum mentibus una fides.
Uttere jure tuo: Nam jus permittit & æquum
Ludere cum COSTA, vir generose, tua.
Sic quoties Titan duodena peregerit astra,
Ridiculus pariat gaudia viva puer.

M. Fridr. Birck.

MÆonio digna est tua dici carmine virtus:
Me juvat at senis addere quinq; pedes.
Omni cura mihi succum depascitur, omnem
Ætas exhaurit, qui fuit antè liquor.

D 2

Deprom-

Depromptum languet vena non divite carmen,
Quod sudans tandem & vix quoque parturio.
Ergo quod summum scandisti culmen honoris,
Atque Palati audis nunc Comes ipse sacri:
Quod multa Doctor Themidos clavis arte peritus,
Quodque peregrinis urbibus hospes eras:
Moribus at pulcris vario & sermone politus,
Inter honoratos suspiciendus ades:
Quod tantis quod totaque tuis virtutibus uxor
Digna tuo venit (premia quanta?) toro:
Maonio hec inquam sunt dici carmine digna,
Sed tenui & parvo carmine dicta mihi,
Sis felix tantisque diu, Sponse, utere donis,
Letare, & tantis perfruere usque bonis.
Omni debentur virtuti premia semper:
Sed merces raro debita tanta venit.

M. Joh. Merck, Ill. Sch. C. Grimæ.

A M O R E
M O R E
O R E
R E

HEm, Sponse nequa interrogas,
Sponse tuæ quid debeas,
Amore, more & ore
Hanc prosequaris, & re
Numine fausto.

M. Franciscus Kessius Cygneus,
Schol. Elect. ad Muldam Col.
Post

Post varias dotes, quibus es decoratus abunde,
Cæsarij Comitiss nomine, Doctor, ovans;
En titulis celebrem te nunc cæleste Trinummen,
Ulteriùs vitæ compare lætificat.
Nam datur in thalamum verâ pietate coruscans
Fœmina, quam probitas clarat & integritas.
Comis ut est, ita comis erit comes; ipsaq; tecum,
Sedulitate domum tempus in omne reget;
Ut Charis inq; domo inq; toro vos lusitet inter,
Dum tribuit vitæ commoda quæque D E U S;
Qui natos tandem, thalami bona pignora vestri,
Suggerat, ut vocitet plurima neptis avum.
Stent rata vota, pio de pectore ducta: remotas
Herculis ad statuas & dolor omnis eat.

M. Caspar Fugerus Dresdensis
Scholæ ConR.

Quem Themis & Pindi Præses maclavit honore,
Multiplici, huic addit nunc Erycina decus.
Scilicet egregiam formâ ac virtute maritam
Ejus in amplexus ritè venire jubet.
Maclæ ô J Ö P N E R E hoc tam grandi munere! IOVA,
Contingant thalamo, det, bona mille tuo!

M. Christophorus Neander, Coldic.
Scholæ Dresd. Cantor.


Albæ gallinæ fili J Ö P N E R E, Magister
Quondam, nunc verò Doctor & alte Comes:
Omnia cesserunt tibi fortunata: Magistrum
Te fecit primò Philosophia catum.

D 3

Verum

Verum post paulò Doctorem, dans sua cuiq;
Te in jure eximium fecit utroq; Themis.
Eisq; Palatinus Comes unà: præter at ista,
Nunc tibi præsignis, claraq; Sponsa datur.
Ergò cur te non gallinæ dixero gnatum
Albæ, cum cedant prospera quæq; tibi,
Et fors præsertim, voveo quam pectore toto,
Si bona tam sequitur, quàm bona prima fuit?

M. David Schnabelius,
J. U. Candidat.



Non simplex animal, sed duplex tempore prisco
Sub mundi fuerat climata natus homo:
Crura quaterna habuit, habuit totidemq; lacertos,
Cœpit & in geminâ fronte movere comas.
(Vera loquor: modò Aristoteles est vera locutus,
Cecropioq; fides est tribuenda Sopro.)
Ille sed infraçto cum robore non foret infra,
Tydea, nec celerem præpete calce Notum,
Calitibus cœpit propè formidabilis esse,
Inq; binas partes Juppiter hunc secuit,
Atq; animos pariter viresq; diremit. Ab illo
Tempore mas primùm & femina visa fuit,
Qui memores hodie prisca integritatis, in uno
Confundi & jungi corpore discipiunt.
Ergò haud immerito truncato segmine SPONSÆ
Conjungi excellens hic Neonymphus avert.
O DEUS alme PARENS, Hymenei federis AUTOR
Fac sacra legitimi sint rata jura thori.

CHRI-

CHRISTE maritalis facis ò suavissime FAUTOR,

Fac sacra legitimi sint rata jura thori.

SPIRITUS alme DEI, thalami blandissime RECTOR,

Fac sacra legitimi sint rata jura thori.

M. Sebastian Krebs/Lipf.

SPONSE quid hoc dicam? Solo PLEISNERIA visu
Protinus ex imo pectore cor rapuit!

Dum dubito, quānam sine corde ita vivere possis,

En etiam mentem surripit ex animo:

Quid sit? quæsitum mentem dum mittis ocellos,

Sidereis oculis lux quoq; victa tua est:

Hinc animam ire paras: sed enim complexibus arctis

Hanc quoq; captivam Sponsa venusta tenet,

Exit fida manus, mentemq; animumq; repostum;

Sed Sponsæ manibus hæsit amica manus.

Restabant aures cum corpore; at auribus hauris

Hanc vocem totus deniq; noster eris.

Tandem igitur victus totum te tradis amicæ,

Ut redeant menti Cor animusq; suæ.

O benè! sic reparata salus; quin plura petitis

In Dominae gremio, si cupis, invenies.

M. Josua Stegman.

I.

Non tenet Aonias rupes Parnassia divas,

Non nemorum Charitas detinet umbra suas;

Dicitur ut casto JÖPNERUS Cypridis igne

Adflatus, socij sacra parare thori.

Freibergam properant celeri pede, gaudia vultu

Ostentant, hilari jubila voce sonant.

Nempe Caballini decus, & laus maxima fontis

Qui cluet, huic Sponso fausta vovere volunt.

Has

Has numero innumero, ut pedibus, sic voce sequuntur,
Laurus queis circum tempora serpit honos,
Egregij vates, tanto quos munere dignos
JÖPNERI ornavit PHOEBVS APOLLO manu.
Hi leti ingeminant Hymeneum: hi júbila promunt,
Atq; Meduseo carmina digna choro.
Tám letis latus resonat clamoribus æther:
Concinit atq; bonis Misnia tota modis.
Quippe quem alumnum habuit, nunc gaudet habere patronum,
Atq; in felici ritè videre thoro.
Hos inter volui, argutos velut anser olores,
Raucâ incompositum perdere voce melos.
Et precor, obscuras quot habet via lactea stellas,
Circumstent thalamum tot bona mille novum:
Sic voveo; votum exporrecto suscipe vultu,
JÖPNERE Ô THEMIDOS CASTALIDVMq; decus!
Quod si suscipies, nec displicuisse docebis,
Posthac vel cygnus, qui fuit anser, erit.

I I.

QVas olim Paridis Phrygij sententia divas,
Atq; datus Veneri dissociarat honos:
Misnicus has iterum JÖPNERUS conciliavit;
Quamq; suum quoniam jussit habere decus.
Illic hinc pro tali voluerunt munere, magno
Conciliatori grata referre suo.
Multiplici excoluit sapientiâ, & arte Minerva,
Iuno dedit triplici conspici honore virum.
Addidit egregiam præstanti corpore Nympham,
Succendens casto pectora amore, Venus.
O ter felicem! istæ cujus munere divæ
Concordes, in eum tanta tulere bona!

M. Zachariæ Schneideri,
Lips. J. U. Studiosi.

Pralu-

PRæluſtris ò J Ò P N E R E, Fautor inclute!
 An non D E O charum, D E O acceptiſſimum,
 Te jure dixerim bono, tot affatim
 Quem reddidit mactum atq; florentem bonis?
 Nec enim ſatis fuit, dediffe plurimã
 Cultum arte pectus, & valens ſcientiã,
 Statuiſſe ſublimemq; nobiliſſimo
 Honoris in Fano, niſi his accederet
 Sat luculentum matrimonium, modò
 I O V Æ auſpicatu, ritè pactum, faminae
 Cum flore, dilectiſſimo, cultiſſimo.
 Quid ergò quid tam proſperis ſucceſſibus
 Boni adprecabor ominis? dictum hoc vetus:
 O perpes iſta ſit Tibi felicitas!

*Submiſi cultus atq; honoris ergò ſ. Lipſie
 M. Adamus Tülsnerus.*

*Ἀκρονομαμεσόστιχον συμβολικόν, ἐγκω-
 μιαστικὸν ἢ εὐκλικόν.*

Vnde meis vires Desumam versibus? ait O
 Assurgam ut Zephyr O, Sponsum bis terq; celebre M
 Laudibus ad coelum p Ræclaris tollere, nomeN
 Ejus ad immensi cantand O climata Mund I.
 Non, mihi si centum sin I lingua, fortia fact A,
 Tymbræo patrata solo, Hic extollere dign E
 Ingenio possem: t Enui nam grandia vers V
 Non opis est nostræ n Arrando texere. Quant O
 Versu, Sponsa, canam te? Phyllide pulcrior es: ni L
 S yrmata; nil gemme; ni L Dalmata munera: curs U
 I ugi decurrunt, pereunt; f Ex infima nume N
 Orbis constituat quam Vis; tamen omnia fallun T:
 Præstantes verè virtute S, dante IEHOV A,
 Non sine patre tenet quas Nobilitata Marita, e T
 E ximiã queis pulcra nit Et magè Iaspide, Daphn E,
 Rivalemque tuum supe Rat; cantabimus istu D.
 Vota litabo D E O; Con I unx sit uterq; subind E
 Salvus Nestoreos Annos! post fata beat I
 E Dn. Sponſi

Dn. Sponsi ad Sponsam

μεγαφώνησις ἀναξαρμαλινή.

VALENTINUS IOPNERUS.
EN, NI VOLUNTAS SUPERI.

EN, ni sit Superi ter sancta & justa Voluntas,
Tu mea quod Sponsa es, Sponsus egoq; tuus?

Apostrophe Sponsæ.

DOROTHEA PLEUSNERIANA.
VAH, NON ERRASTI ÆDEPOL!

VAh! Comes Magne & celebris Themistos,
Non mihi errasti; sacra nam voluntas
Conjuges Ihovæ socians iugavit
Ædepol ambos.

Ejusdem.

DOROTHEA PLEUSNERIA.
AH VERE ORASTI DE PLENO!

AH vere orasti! De pleno corde fideq;
Sincerâ votum hoc venit; amate veni!

ENCOMIUM SPONSÆ,
Per distichon correlativum &
articulatum.

UXorum: Ihovæ: maris: urbis: sanguinis: edis:
Flos: dos: ros: mater: firma columna: decus.

Magnifico suo D. Promotori

Honoris & grati animi ergo

Lipsiæ faciebat

Jonas Pelsius, P. L. C.

Duo

Duo paria anagrammatum.

I.

ἀναγραμματισμοῦ

VALENTINUS JOEPNERIUS

ἀναγραμματισμοῦ

EN, TUNE RIVALIS? JUS PONE.

Epig.

TUnè en rivalis *verus*, cui *Sponsa* petita,
Mansit? Es: esto! Ergò jus quoq; pone sa-
crum.

DOROTHEA SCHONLEBIANA
BLANDAI, HONESTÆ CHORO.

Epig.

BLandai, *ingenue, formosæ, castæ & honestæ*
Applaudat qui vis inq; foro, inq; Choro!

II.

VALENTINUS IOEPNERIVS
VINEAS PONES, VIRULENTI.

Vineas pones, *sapidum bibesq;*
Dulciter vinum, DOMINO jubente,
Cum pia costa; sua virulenti
ilia rumpant.

Marquardi Nostleri,
Westph.

E 2

Si

Si præire viam velles JÖPNERE, quod opto,
 Tecum quò possem faustus inire torum,
 Pol sequerer pedibus manibusq; animoq; fideq;
 Ne lecto in viduo me laceraret hyems.
 Quondam equidem memini, socia ut nos Musa jugârat,
 Inter nos fuerit quantus utrinq; favor.
 Qui si constat adhuc, per TE Venus ipsa rogetur,
 Album me in blandum scribere blanda velit.
 Omnia ego spero. Tibi gratulor. Omnia nostro
 Quæ voveo thalamo, sint quoq; S P O N S E, Tuo.

M. Augustus Hayneccius.

Cum Deo & Virtute.

O mihi contingat Dircaei nervia vatis,
 O mihi sit cerebrum, culta Minerva, tuum,
 O mihi contingant streperæ tot acumina linguæ,
 Quot Junonis avis lumina cauda gerit:
 Non ut Trinacrias possem superare puellas,
 JÖPNERO at per me quò quoq; constet honor.
 Quis siquidem renuat tanto sua carmina ferre,
 Carmina honorato non sine laude VIRO?
 Hà COMITI! claro DOCTORI juris & æqui:
 Ringeris (ah nihil est) invidiosa cohors!
 Invidiæ quò plus, tantò plus gloriæ adauget
 Hunc hominem, ah hominem, cui favet alma Trias.
 En parat ire thorum: paulatim dispicit, una
 An sit, honorifico quæ faveat COMITI.
 Invenit: egregiam cupit? en capit; an dotatam?
 Accipit; an juvenem? quam cupit, illicò habet.
 LIPSIAE ego augur eram; mihi cum virtute calentem,
 Monstraret socius, TALEM HOMINEM ET COMITEM!
 E voto quod Huic res sit casura, JEHOVA
 Quod cupijt, parvo tempore contribuit.

Macte

Macte novi effectū voti, Clarissime Doctor,
Et COMES Aonijs concelebrate plagis.
Conjugij ingreditor lectum; foetusq; novos
Si cupias, capias, quot cupis, accipies.
Accipias multos, precor ut, Cybeleq; Celeste
Sic TUA plus crescet gloria, crescet honor.

M. N. C. V.

Cultor Observantiſſ.

Christianus Blatt, Dresd.

Pœſeos & Med.amicus.

*Non secus, ac illi gaudent, quibus oia cura
Sedula Thespiadum, novus est si fortè libellus,
Utilis isq; solent manibus deponere nunquam
Illum, sed vigili studio percurrere; finem
Quando vident, relegunt, facti nec poenitet illos:
Quippe tulisse juvat fructus: sic blanda perrrant
Gaudia JÖPNERI mentem, cui contigit uxor
Pulchra, pudica, pia, à Superis, qui cuncta ministrant;
Huic dabit amplexus, huic oscula dulcia figet
Usg; adeò, ut letum faciat modò prole parentem,
Unaq; quum extiterit, nitetur plurima habere
Pignora: Quos fructus! (haut felix omen aberret.)
Ergo age, Magne Comes, acceptis utere sanus,
Comprecor: Asmodes abeat; strix improba cantu
Ne noceat; longæ Parce quoq; stamina vita
Nunc Sponsis neclant, Mea non sint irrita vota.*

Faciebat Lipsia,

Corbinianus Brodtkorb, Wircensis,
Opt. art. & Ph. Bacc.

E 3

JÖPNE-

JOPNERE, Ardalidum laus summa, Comesq; Palati
 Dive sacri, Themidos, Justiciaq; decus.
 Fortunæ pullus, transcendit Culmina honorum,
 Tu quoq; Fortunæ magna propago clues.
 Res loquitur: summis es honoribus ampliter auctus,
 Quos meruit Virtus, quos Genijq; vigor.
 Nec sat: Sors cumulat bona tanta sequace novorum
 Auctu donorum, quæ modò consequeris;
 TE ditans formâ & cultu virtutis honorâ
 Matronâ: quo quid munere nobilius?
 Quam poliére suis donis Juno alma, Venusq;
 Et quam Sors censu divite blanda beat.
 Hâc cum VIR quoniam connubia MAGNE celebras,
 Quâ FRIBERGA suum tollit ad astra caput:
 Illam Fortunam, ac illos TIBI grator honores
 Corditûs, atq; illis omnia fausta precor.

Josephus Henelius Hohnsteinio- Misnicus.

I.

RIxa continue nuper oborta erant,
 Inter Pierias atq; Cupidinem:
 Cui JÖPNERUS, Amor Cæsaris & Dicæ,
 Majori studiò fixus adhaeserit?
 Nos, istæ referunt, semper ab intimis
 Cordis fovit amavit penetralibus.
 Hic contrâ: haud equidem pensito; amaverit!
 Jam verò meus est; En tibi frustulum
 Cordis, sponte suâ quod mihi dedit.
 Res delata fuit mox ad Apollinem;
 Litem is composuit: poscit Eas & Hunc,
 Et submissò animò leniter increpat.

Castum

Castum admittite Natæ (euge!) Cupidinem!
 JÖPNERI in penito corde habitabit
 Junctim, pacificis dediti amoribus.

JÖPNERO Comiti dein Neonympho ait:
 Tu Nuptæ lepido nocte süavio
 Leniris modò plenissimè ab omnibus
 Cordis torminibus. Vive VALENS vale!
 Posthac Pierijs addito Nymphulis
 Concessum hospitio Corde Cupidinem.
 Ecce applaudo mei carminis alite!

II.

DOROTHEA PLEUSNERIS.

Anagram.

ES PLENA ODORE THURIS.

S I Sponfa fors odores	Vt digeras, sat aptam	In adibus tenebunt
De Myrrba amarisres	Medelam habes recepta	Vestris, nec imminebunt
Irrepserint Torali,	Sub nominis nitore.	Vobis toroq; vestro.
Ex sorte conjugali,	Hoc explices lepore	Defendat hunc ab Oestro
Vt sæpè fit, vel extra	Sermonis, & decore	Discordia, & Capistro
Torum sies, vel intra,	Amoris, ore, flore. (RIS.	Concordia refrenet
Non anxius levamen	ES PLENA ODORE THU-	Trias poli alma justa,
Quæsiveris, gravamen	Nihil hinc Amara juris	Quæcunq; sint molesta!

Matthias Cutenius, Oscherf, Saxo.

E n Sprickwort mán segt nah	Nich eine Olde fuhle tóth/
vn fern/	De nich wert is tve dofer nóth/
Glick vnde glick gefellt sief gern/	Sondern ein Fruwcken vterfarn/
Vn deit de Mañ wol vp der Welt/	Mit iuck in einem Jahr gebarn/
De sief thoe sines glicken hölt/	Welck vpfund/als juw lede Brut/
Demil de Leve süverlick	Vor Gads Dgen iuck wárd ver-
Bi den gern is/de dar sind glick/	truwt. (ckes Par/
Dat mark in Herz Brutmáker sin/	Dar süht man stahn ein schmu-
Dwill in iuck keist in iuwem sinn	Ein ander gar glick na dem jar/
	Watt

7036
Watt äferst andript ander ding/
Da iß de glicknis sehr gering.
Den wen in wern einander glick/
Wu könn in mehrn dat Hünel-
rick?

Drumb in einander heft genamn/
Syndt indr Bruchhuß tho hope
kann. (sackn/

Godt hilp! dat lang wol stahn jue
So könn in juck veel Glicknis
mackn.

Nota benè.

Ein older Rütter/ein Guhl junck/

Nich wol thoesamen doegn
thoem sprunck/

Den wen de Ghul begind thoe
springn/ (twingn/

Kan öhn de Rütter nich be-

Warpt dat Gebehre vth dē Muhl/

So ligt de Rütter by dē Guhl/

Wen äferst de Rütter iß sin jung/

Kan he dem Guhl vthholn ein

Sprung/

Vnde kan sin sacht trasn dahin/

Wohe öhm hensteit sijn Moth

vn Sinn.

M. C.



Incluta Virtutis data præmia, fautor amande,

Doctrinæ data sunt, digna brabeia tibi.

Nunc quoq; digna datur digno tibi Costa Marito,

Innumerisq; favet fors peramica modis.

Hæc semper faveat: divina Faventia tædis

Adsit, & effundat cuncta benigna, precor!

Debitæ observantiæ & gratitud. E. depp.

Adamus Rupertus, Budif.

hero suo plur. colendo.

C O R O N I S.

Materies quævis cum sit præcepta jocandi,

Ego complicans quæcunq;, CLAUDO JANUAM,

Tu ne mireris LECTOR, Prior ordine & annis,

Et PETRUS ipse fertur esse JANITOR.

Ergone ANDREAS potior foret? Ultima vox sit:

SUM CLUSTUS; TU SPONSE sis PATULCIUS.

M. Andreæ Quelmaltz, P. L. C.

Correctoris typographici.


F I N I S.

VDA


29.1

QV 250.14

VOTIVA
 CA
 SUPER
 Magnifici, Nobil
 DN. VA
 JÖPNERI, J.
 TERANENS
 læ Cæsareæ, ac
 CO
 Lectissima & H
 DOR
 VIRI AMPL
 ET SPE
 DN.D. PAUL
 Ph. Medic
 Nec non Prudentis
 GOTHOFRI
 Senatoris quo
 re
 Fribergæ Hermuna
 M.D.C. XV
 F R I
 Imprimebat Georgiu



KODAK Color Control Patches © The Tiffen Company, 2000
Kodak LICENSED PRODUCT
 Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



Z
 361

X 205 5567

